M
258 154
OSZK

DE I. M. BRUTI HISTORIÆ HUNGARICÆ LATINITATE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

IOSEPHUS C. VIETÓRISZ.

MEGYEI VÁRI KÖZPONTI KÖNYVTÁR
NEM ADHATÓ EL!

BUDAPESTINI.
TYPIS SOCIETATIS FRANKLINIANAE.
MDCCCXC.

DE I. M. BRUTI HISTORIÆ HUNGARICÆ LATINITATE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

IOSEPHUS C. VIETÓRISZ.

BUDAPESTINI.

TYPIS SOCIETATIS FRANKLINIANAE.

MDCCCXC.

M 258.154

R 2

ORSZÁGOS SZÉCHÉNYI KÖNYVTÁR
1968/R leltár

DE I. M. BRUTI HISTORIAE HUNGARICAE LATINITATE.

Exhortationibus Aem. *Thewrewkii* de Ponor et Ant. *Bartalii*, quas ii viri doctissimi latinitatis scriptorum Hungarorum investigandæ et elaborandæ causa ad philologos patrios direxerunt[1]), diligenter consideratis, ut ego quoque viribus meis exiguis operæ perficiendæ[2]) adessem, Bruti[3]) latinitatis demonstrandæ consilium inii. Qui genere Italicus, quamquam alienus ab eo incepto videtur, quod latinitatem scriptorum Hungarorum requirendam proposuit, attamen cum magnam ætatis suæ partem apud nos egerit et Hungariæ historiam[4]) litteris persecutus sit, scriptoribus infimæ latinitatis Hungaricis iure adnumerari potest.

Pro nostro proposito neque syntaxim, neque orationem Bruti latinitatis tractare in animo est, nam constructione ambituque verborum vel maximos suæ ætatis scriptores valde is superat. Fuit

---

[1]) Cf. «Egyetemes Philologiai Közlöny» VII. pag. 112. Ibid. XII. pag. 380.

[2]) Tria adhuc huiusmodi opuscula in lucem prodita sunt: Ant. *Bartal:* «Diplomatarium relationum reipublicæ Ragusanæ cum regno Hungariæ» E. Ph. K. XII. 380—391. — I. *Uhlarik:* «Anonymus latinsága» a. 1889.; — Ant. *Bartal:* «Magyar jogtörténeti emlékek.» E. Ph. K. XIV. 394—402.

[3]) De vita et operibus I. M. Bruti luculenter egit Fr. *Toldy* in editionis suæ præfatione, pp. I—LXXXIV.

[4]) Brutus János Mihály «Magyar históriája» 1490—1552-ig. A magyar királyi egyetemi könyvtár eredeti kéziratából a szerző életével közli *Toldy Ferencz.* — I. kötet: II. Ulászló király országlata. — II. kötet: II. Lajos király trónralépésétől 1537-ig. — III. kötet: *(Nagy Ivántól)* 1537-től Egervár ostromáig 1552-ig.

Annotationes meæ et emendationes in Appendice sunt enumeratæ

enim magna eius facultas in dicendo, ita ut ubertate verborum et quod integritatem, elegantiam ornatumque orationis attinet, equidem paucos ei pares esse iudicem. Quod tu quoque minime dubium habebis, si orationem eius expedite et facile currentem numeroseque cadentem reputaveris.

Leges dicendi præceptaque grammaticorum semper in oculis habens, tantum raro ordinibus verborum novis, a latine dicendo parum declinantibus Brutus est usus, sicuti *inter se* serere sermones (III. 280, 5)[1]) sive *cum aliquo* serere sermonem (IX. 68, 8) pro *alicui* serere sermonem, — *auribus* insusurrare (II. 184, 9) pro *in* sive *ad aures* i. (cf. V. 22, 33: ea vero *in pronas aures* ad sua mala insusurrabantur), — mulieres *uterum* gestantes (X. 155, 22) pro *partum in utero* gestantes, — *edere* documentum (III. 303, 5) pro d. *dare*.

Vocabula et dicta e lingua Latina in Hungaricam inducta vel similiter expressa quoque diligenter investigantibus hæc nobis digna commemorari videntur:

I. 70, 29: de suo *iure decedente* = elállván jogától.

II. 238, 18: *iuxta dies* noctesque, cf. *nap nap mellett*.

II. 243, 3 sqq.: Raro tam opportunam occasionem oblatam tetrum[2]) monstrum a Christianorum populorum *cervicibus deiiciendi*. Ap. nos: *lerázni nyakáról*.

V. 235, 25: Vngaris *rem esse cum* hoste potentissimo, cf. *vele van dolga*.

VII. 296, 4: *legislator* = *törvényhozó*.

VII. 319, 17: *subit animum* = *eszébe jut*.

IX. 27, 9: *partes* = *pártok*, sive *párt* (XI. 199, 31).

IX. 29, 33 et passim: *per se* = *persze*.

X. 77, 22: pertinacius septentrionibus *tenentibus*, idem ac: makacsúl *tartottak* a szelek. — XI. 196, 7: diutius opinione *tenentibus* imbribus.

X. 144, 4: *syrtes* = *szirtek*.

XII. 235, 18: arrepta falce, quæ *venerat ad manum*, cf. *keze ügyibe akad*.

Vocabula, quæ tantum apud Brutum occurrunt, i. e. in nullis glossariis inveniuntur, e fontibus his hausta sunt:

---

[1]) In citatis libros, paginas et lineas signavi.

[2]) Litteras æ et e, y et i, œ et e etc. a scriptoribus sæculorum sequentium sæpe commutatas esse nil quid mireris.

a) *verba ducendo vel derivando,* ut dilectitia (I. 134, 33), perinique (IV. 451, 5), subalbicare (VIII. 352, 18), interamnensis (VIII. 422, 21), pireite (IX. 251, 17);

b) *verba componendo,* ut peropulentus (V. 8, 24 et passim), semitransfuga (VII. 272, 14), prorex (IX. 19, 18), semicapta (X. 95, 30), semidiscere (XI. 195, 17), perictus (XI. 205, 18), contrasentire (XI. 209, 15), bellidux (XI. 222, 11), expernoctare (XI. 229, 5), rectane (XIII. 390, 3);

c) *barbara verba in linguam Latinam inducendo,* ut banus (VII. 310, 6), visirii (VII. 355, 23, — IX. 54, 8), alla (VIII. 364, 30), nasades (VIII. 387, 15), martalocii sive martelosii (X. 80, 6), huzarones (XI. 219, 9), bassa (XI. 237, 33; passa 474, 9), Ianniceri (XI. 245, 21), birous (XII. 314, 12), ciausii (XIII. 359, 13), haidones (XIV. 419, 11).[1])

Restat nunc, ut *rationem* in Bruti latinitate pervestiganda a nobis secutam breviter commemoremus.[2]) Ex iis, quæ supra dicebantur, efficitur, ut in opusculo hoc nostro tantum pars Bruti latinitatis *lexicographica* fusius tractetur. Qua in parte seorsim et de vocabulis Latinis, quæ apud scriptores medii ævi latius patent et de vocabulis novis ab eiusdem ævi scriptoribus usurpatis et quæ tantum apud ipsum Brutum occurrunt, actum est. Sequitur, ut tota dissertatio sit in tres partes divisa, quibus »*Index nominum propriorum gentium et locorum*» accedit, ut eis quoque, qui magis ipsam historiam a Bruto scriptam spectent, aliqua ex parte satisfaciam. «*Appendicem*» denique, in qua errata et corruptelæ editionis principis afferuntur, opusculo adiunxi.

---

[1]) Quibus de vocabulis plura in parte III. afferentur.

[2]) Quibus usus sum opera sunt hæc: Glossarium ad scriptores mediæ et infimæ latinitatis auctore C. Dufresne, dom. *Du Cange* e. q. s. Parisii. — Totius latinitatis lexicon opera et studio *Aegidii Forcellini* e. q. s. Prati, MDCCCLXV. — Ausführliches lateinisches Handwörterbuch, ausgearb. v. *K. G. Georges.* Leipzig, 1880. — Etymologisches Wörterbuch der romanischen Sprachen von *F. Diez.* Bonn, 1878. — Archiv für lateinische Lexicographie und Grammatik mit Einschluss des älteren Mittellateins, herausgegeben von *Eduard Wölfflin.* Leipzig, I—VI. Jahrg. — Deutsch-Lateinisches Handbüchlein der Eigennamen aus der alten, mittleren und neuen Geographie von *Dr. G. A. Saalfeld.* Leipzig, 1885. — Compendium Hungariæ geographicum ad exemplar notitiæ Hungariæ novæ historico-geographicæ *Matthiae Bel,* Posonii et Cassoviæ, 1777., — aliaque lexica, opuscula et dissertationes.

I. VOCABULA, QUÆ LATIUS QUAM APUD SCRIPTORES AUREÆ ÆTATIS PATENT.

agitatio (equorum) II. 222, 2, idem ac *lóverseny*, productum ab agitando, sicut a. fluctuum, a. lecticæ, corporis, mentis, animi etc., nec ullo autem loco cum vocabulo equorum coniunctum reperitur.

albani XII. 309, 27 ab Alba Regalis (= Sz.-Fehérvár) székes-fehérváriak.

bulla aurea VIII. 411, 15 significat imperii formulam a Carolo IV. Cæsare descriptam, est igitur aliud ac in decretis Andreæ regis legitur. Cf. Du Cange s. v. Bulla.

cancellarius IX. 4, 2, ubi St. Verbœtius dicitur regni cancellarius, id est qui notarii munus apud regem obit, igitur minime cum significatu a scriptoribus ecclesiasticis usurpato commutandum est.

cauda XI. 247, 5: «locare tormenta loco idoneo ad verberanda mœnia iubet, cratibus humo refertis dissimili corbium forma, quas caudas vulgo *milites* vocant».

corona I. 114, 9, idem ac *diadema* regium (I. 82, 5) sive sacrum diadema (I. 83, 3). *Corona regia* quoque legitur V. 32, 15. De corona aurea v. Du Cangii Glossarium s. v. *corona aurea*, ubi illam dicit coronam auream, qua Romæ a summo pontifice donatur, tamquam Imperator. Coronam a Bruto allatam Silvestrem II. papam regi nostro Stephano I. donasse constat.

exul X. 105, 16 «ut res per Vngaros exules ageretur», id est per eos, qui sunt *extra muros*, non in ipsa urbe.

facere XIII. 382, 30 «nobilitate ad reginam faciente» id est reginæ *partes sequente*, quæ significatio producta est a significatu *factionis*, quæ passim legitur.

falco VIII. 477, 9 est apud veteres nomen avis ex accipitrum genere, quod ungues more falcis habeat introrsum flexos (cf. Lex. Forcell. s. v. falco); ap. Brutum falcones sunt *minora tormenta,* ut vulgo milites vocant. Quibus de falconibus hæc tantummodo dicuntur; «Nam hostes præter alia genera telorum, minora tormenta, quæ vulgo milites *Falcones* vocant, in subeuntes de loco superiore directa habebant, ut raro ictu frustrarentur». Neque D. C. his plura de falcone dicit: falco *lanceae species,* ad modum falcis recurvæ; non ad tegendum, sed ad nocendum apta. Cf. *Diez,* s. v. *falcone.*

fistula ferrea VIII. 411, 31 et passim. Est genus tormenti bellici, e quo glandes plumbeæ emittuntur. Apud Brutum plerumque cum aliis tormentis allatum invenitur, ut XI. 251, 28, — XI. 252, 26 etc.

graecus IX. 17, 29 attributum ad vocabulum superstitionis quasi proverbialiter usurpatum, ut apud nos *muszka* barátság, *török* átok etc.

levidius XI. 202, 12 «nam in colle posita (Alba Julia) sensim levidius se in planiciem demittente, olim ad amnem usque Marusium pertinebat». Ap. Forcell. legimus lividius = *suboscure.*

manare XII. 293, 5 id est parum *declinare* eltérni, különbözni.

mortarium XII. 294, 8 «in his erant — ait Brutus, — quæ vulgo *ob formae similitudinem* mortaria vocant, quibus lapideas pilas trecenta pondo atque eo amplius deiiciebant». Latius et fusius de mortario, genere tormenti bellici, tractatur ap. D. C. s. v. mortarium. Cf. Diez o. c. p. 217. s. v. mortajo. Ap. Valach. mozériu, unde ap. nos: *mozsár.*

multus XI. 270, 1 dicitur vir, qui vires plurimas aliquid efficiendi sive auctoritatem maximam habet.

piratica III. 283, 32 «multi qui insedissent publica itinera, piraticam fecissent . . .» Piratica proprio sensu est piratarum ars et vita, — deinde, ut D. C. ait, non solum est deprædatio marina, sed omnis felonia super mare aut infra magni Amiralii iurisdictionem perpetrata. Ap. Brutum significat raptorem, prædonem sive latronem.

plectere (capite) IX. 38, 4 idem ac capitis *damnare,* quo sensu ap. scriptores ævi sequioris passim occurrit.

pulcherrima (occasio) XI. 196, 1 idem ac *opportunissima.*

pyxis (pixis) IX. 47, 19 «quousque pixidis globo interiit,» — XII. 304, 9 «oppletas pyxides tormentarii pulveris», — XII. 335, 20 «præter tormentarias pixides» sqq., — XIV. 455, 33 «insertis *parvis fistulis*, quas vulgo, non male, quod pugno (!) gestantur, pyxides vocant». Pyxis proprie significat vasculum e *buxo* excavatum a πύξος, buxus. Ap. Brutum est species machinæ bellicæ, ut apud plures scriptores ævi medii, qui in Gloss. D. C. commemorantur.

sacerdotium XIV. 418, 32 idem ac *episcopatus*. «Agriense sacerdotium inter cætera Vngariæ, quæ et multa sunt, et luculenta, secundum Strigoniense princeps dignitate atque opulentia habetur».

siculi III. 299, 27 et passim, idem ac *székelyek*.

suffulcio V. 43, 20 proprie est subtus fulcio, sustento; ap. Brutum legitur: «cum enim grandis iam natu quodam die suffulta veste Ponticorum murium pellibus, quas zibellinas vocant, prodiisset e. q. s.» Habet igitur significationem ornandi sive intus muniendi.

venalis (lingua) I. 78, 7 «hi palam regiorum turpes assentationes et blanditias exsecrati, non regi eos gratificari, sed suo tempori servire contendebant, venalis linguæ homines et qui haud gratis de re tanta serere sermones in foro ac frequenti adeo regia auderent.» Cf. I, 111, 13 «turbulento hominum genere, qui venali lingua addicta potentibus hominibus populum ... ad inferenda patriæ impia arma ... adhortantur.» Unde hoc vocabulo linguam blanditiis refertam significari facile apparet.

vis (temporis) IX. 36, 13 idem ac circumstantia, ratio, conditio temporis etc. «Tria — ait Brutus — hæc imprimis spectari consuevisse et quibus esset tributum imperandum et qui imperaret et quæ temporis vis esset, cum ad ad confectionem tributi conferri oportet.»

II. DE VOCABULIS A SCRIPTORIBUS SEQUIORIS ET MEDII AEVI USURPATIS.

alla VIII. 364, 30 «vox est dei immortalis vim maiestatemque afferentium» (ap. Turcos). *Allah* quoque scribitur.

archibusus VIII. 373, 19 «erat Ianizerorum delecta manus, qui fossa et vallo muniti, fistularum crebris ictibus, quæ *manualia tormenta* (archibusi vulgo *milites* vocant, in eo militiæ genere maxime exercitati) efficiebant, ne e. q. s.» Quo modo autem hoc tormenti genere utebatur, minime certum nobis videtur.

archiepiscopus I. 9, 12 et passim. Persæpe hoc vocabulum apud scriptores ecclesiasticos occurrit et *summum Episcoporum* significat; ap. nos: *érsek*. Inde *archiepiscopatus* ap. Bonif. epist. 63.

argentarium VII. 293, 10. Proprie est locus, in quo argentea vasa reponuntur; eodem sensu ap. Brutum: «distractum sacrum argentarium (sc. ab avaro milite)» e. q. s.

asserculum XIV. 455, 29 deminutivum ab assere: *parvus asser*.

banus VII. 310, 6 = *bán* ap. nos; hoc nomine præfecti provinciarum appellantur, ait Brutus de F. Batthyano Croatorum bano.

cardinalatus passim, est dignitas cardinalis. De cardinalibus late actum est ap. D. Cange.

catholici V. 69, 26 = fidem catholicam profitentes.

coenobium XIV. 430, 22. «In interiore arce religiosorum hominum *sacra domus*, quam cœnobium vocant et carcer, damnatorum hominum custodia ab (!) varia facinora inclusus atque hic quidem in propugnaculi formam exstructus» e. q. s. Inde: cœnobialis, cœnobiosa etc. V. ap. Sittl: Archiv VI. 115.

colubrina XIV. 442, 30 est genus tormenti, de quo autem nil nisi nomen a Bruto affertur: «Tria quidem muralia (tormenta) advexisse dicuntur, quarum (!) singula pilas quinquaginta pondo iaciebant, tum quas colubrinas vulgo *milites* vocant, ingentis emissionis omnes» e. q. s.

coronatum VIII. 413, 7 est nummi genus; D. C. ait id esse nummum aureum ducum Burgundiæ et comitum Flandriæ. — *Koronás tallér* vulgo appellatum est.

Christus, christianus crebro occurrunt.

cratitium (opus) XI. 251, 13: «*corbes* cratitio opere», — XIV. 428, 10: «*muro* exstructo cratitio opere.» Est hoc vocabulum adiectivum a *crates* et significat ex cratibus factum, ut cratitii parietes, qui cratibus insertis fiunt, scil. asseribus arrectis et transversis (Forcell.).

cucullatus XII. 325, 12 «Iovius ait multos sacros ordines professos, quos ipse *inter seria ludens* cucullatos sacerdotes appellat, impigre aut faciendo opere, aut pugnando operam navasse ait.» Ap. alios scriptores tantummodo de rebus dicitur, ut vestis cucullata, saga cucullata etc. Ap. D. C. hæc legimus: «Cucullati appellati S. Aemilianus confessor et Petrus Abælardus ab aliquot scriptoribus» e. q. s. *Cucullarius* in Gloss. Trev. Graff, II. 804 (in Etym. Wörtb. von Diez p. 365.) s. v. *cogolária*.

Cucullatus est *cucullum habens*.

dapifer VI. 177, 7 idem ac σιτοφόρος dapes ferens. Magister dapiferorum = főétekfogó.

decimare VI. 204, 12. In re militari decimari legiones dicuntur, quando *decimus quisque supplicio afficitur* ab imperatore, sorte ducta, cui contingat (Forcell.). Nos dicimus: *megtizedelni*.

expergefacti III. 257, 23 idem ac *surgentes*: «cur non vere aliquando expergefacti efficerent, ut» e. q. s.

fenestrare XII. 299, 1 idem ac fenestram facere.

florenum IX. 73, 10 est nummi genus, de quo hæc ap. D. C. legimus: «Floreni, monetæ aureæ *Florentinorum*, quorum octo unciam conficiebant. In una horum parte insculptus fuit *flos lilii*, unde monetæ nomen inditum. Hinc fere monetis aureis cæteris Floreni indita appellatio.» Cf. Et. Wörterb. s. v. *fiorino*. Ap. nos: *forint*.

formator V. 5, 26 qui format, sive regit, dirigit.

fulcimentum XI. 275, 2 ap. nos *támasz* «cuius (scil. Soli-

manni) unum maximum fulcimentum ad stabiliendum tantum imperium positum est» e. q. s.

intersecare XI. 202, 14 compositum ex inter et secare: «Marusius, qui planiciem intersecat.»

iubilaeus (annus) I. 130, 15 «ac Iulius quidem pontifex, per speciem gerendi sacri belli, callido consilio moliens in Venetos arma, iubilæi annum a Bonifacio octavo in annum centesimum, mox in quinquagesimum ab aliis, postremo in XXV. ab aliis redactum in *decimum* revocarat» e. q. s. Est vox Græca (ἰωβηλαῖος sive ἰωβιλαῖος) ex Hebraica, qua annus quinquagesimus ap. Hebræos expressus est. Plura sis legas ap. Forcell. s. v. iubilæus. *Jubileum, jubilálni* etc. ap. nos quoque persæpe usurpantur.

lucta II. 222, 2 a luctando = *bajvivás* ap. nos. Cf. *Luc. Cag.* 250, 7: luctam gerere. Ap. ital.: lutta, lotto.

manuarius VII. 307, 17 idem ac *manualis*; tormenta manuaria. Cf. Diez. o. c. p. 383 s. v. mannaja: im mlatein manuaria synonym mit *dextrale*.

mus ponticus I. 117, 13: «Vngarorum pretiosis vestibus induti, quas suffultas aut pardorum, aut ponticorum murium pellibus» e. q. s. Cf. IX. 64, 6: «vestibus duabus ex holoserico villoso purpurei coloris auro distinctis, totidem pictis Damasceno opere et Zibellinis pellibus, quas nonnulli certis adducti coniecturis putant ponticorum murium esse.» Est ap. nos — ait Forcell. — *hermellini*, pilo albo et mollissimo. V. etiam v. *zibellina* (III.). Hermellinus, herminiæ sive arminiæ quoque pelles ap. alios. Cf. Diez. o. c. p. 26.

mutilatio I. 88, 8 idem ac *mutatio*, mutilitas, actus mutilandi.

opificium I. 86, 7: «cum eius maior pars, labore diurno atque urbanis opificiis alerentur.» Est igitur idem ac *labor*, non laboris sive operis confectio, ut a scriptoribus compluribus usurpatur.

paropsis VIII. 377, 18 «p. aqua referta» est *patina*, proprie quadrangula, ap. Brutum cuiuscunque formæ.

pernicio XI. 217, 24 est *inflammatio*, ap. nos: *gyuladás*. Ap. alios scriptores tantum in num. plur. hoc sensu occurrit.

protonotarius I. 47, 17: «protonotarios quos appellant, qui ius regi dicenti præsto esse consueverunt.» Ap. nos: *itélőmester*. Ap. D. C. est *primus inter notarios*, sive summus cancellarius;

deinde commemorantur protonotarius τοῦ δρόμου, p. thematis, p. in ecclesia Constantinopolitana (πρῶτος τῶν πατριαρχικῶν Νοταρίων), p. Apostolicus etc. sed neuter eodem sensu ac ap. nostrum usurpatur.

purgatoria VIII. 373, 9: «porta, quam vulgo *Burgthor*, hoc est castrensem portam appellant (Iovius *detorto nomine* purgatoriam vocat)» e. q. s.

resanari XII. 315, 12: «quid vero inconsultius, quam earum rerum retinendarum causa, quarum iacturam spes esset posse resanari, facere cum iis ipsis salutis et vitæ iacturam?»

sabulosus XII. 319, 18 «solum sabulosum» id est *sabulo abundans*. De vocabulis, quæ -osus exeunt, subtiliter disputavit Schönwerth-Weyman in Archiv für lat. Lex. V. pp. 192—222.

sphaerula XIV. 452, 20 est deminutivum a sphæra, ap. nos: *golyó, löveg*. Apud ital. perula, perla, quod Diez o. c. p. 241—242 cum sphærula non facile conferri posse iudicat.

stoliditas XIII. 414, 29: «eum infra bestiarum stuporem stoliditatemque habendum, quæ nunquam eo redire, ubi semel offendissent, consuevissent.»

strata XII. 337, 22 est *via* strata ap. sequioris ævi scriptores, ait Forcell. Ap. nostrum est ipsa *urbs*, quæ stratis (viis) abundat. Strada, estrada ap. ital. Cf. Diez o. c. p. 309—310.

suborior III. 413, 31 idem ac *orior, exsurgo* etc.

sultan III. 328, 2 est Imperator Ottomanorum.

superinduco XIV. 429, 14 idem ac argilla oblinere, insuper adiicere etc.

sutrina XI. 271, 33 «aut in fabrica, aut in sutrina, aut in opere rustico vitam agunt.» Sequitur, ut non solum sutoris, sed cuiusvis etiam opificis officinam significet.

tormentarius (pulvis) V. 83, 23 a tormento (tormenta: S. Brandt in Archiv V. p. 286 sqq.) idem ac *pulvis igneus* (cf. V. 104, 13) sive *p. sulfureus*, ap. nos: *puskapor*. Deinde *tormentarii* ap. nostrum occurrunt (XII. 298, 21): «qui igni tormentis admovendo operam subministrant.» Quod vocabulum in nullis glossariis legitur, itaque pertinet ad caput sequens, ubi iterum allatum erit.

ustio VIII. 371, 28 ab urendo = *égetés*: «ut langentia corpora gravioribus morbis non solum lenioribus remediis, sed ustione etiam et sectione alentur.»

usurpator X. 89, 21 «regni usurpatores» id est qui nullo iure regno utuntur.

vaivoda VII. 226, 18: «v. Transilvaniæ» (etiam VII. 275, 12), — VIII. 386, 26 sqq. «ut cum Cassono Voivoda atque equitum ala rei militari præesset,» — VIII 387, 3 «quibus Numin Voivodam iusserat præesse» etc. Cf. D. C. s. v. *Vaivoda:* «Vaivoda, Voyvoda Dalmatis, Croatis et *Hungaris* est exercitus ductor hodie vero promiscue pro quolibet exercitus vel ordinum ductore accipitur, ut ap. Italos *capitaneus.* Voivodæ nomen generaliter significat *Praefectum militum,* quem Capitaneum vulgo vocant. Sed ap. Hungaros, ut olim, sic etiam hodie, duæ sunt appellationes administrationum maximarum, una Bani, altera Vaivodæ. Voivoda vero *praeses* dicitur, loco Regis administrationem habens *in aliqua provincia,* puta Transilvania, Valachia maiori, Valachia minori» etc. Ap. nos: *vajda.*

veteramentarius (sutor) III. 379, 22 est sutor, qui sarcit.

xenodochium VIII. 413, 33 «qui præessent sacris xènodochiis ad alendos mendicos institutis.» Est igitur locus, quo mendici accipiuntur et aluntur, quo sensu passim ap. scriptores ecclesiasticos legitur.

III. DE VOCABULIS, QUÆ TANTUMMODO APUD BRUTUM OCCURRUNT.

bassa XI. 237, 33 et XIV. 439, 26. Est vox *Turcica*, quæ significat *praefectum* Solimanni aliorumque Turcarum imperatorum. *Passa* quoque legitur XIV. 474, 9.

begus V. 62, 31. Becram*beius* VIII. 373, 9. Ianus begus IX. 54, 8. Luphti*beus* (=Lufti bég) IX. 53, 17. Bali*begus* (= Bali bég) XI. 189, 3. Beller*beius* (= Begler bég) XI. 239, 21, cf. Beler*begus* XIV. 442, 3. Hæc quoque vox *Turcarum* est et significat *ministrum* Regis sive Imperatoris Ottomanorum; deinde *suffectum* alicuius regionis, sicuti Balibegus Budæ suffectus, denique ducem Imperatoris. — *Bekus* legitur VIII. 393, 16: Mahemet Bekus. XIV. 441, 19: Arczlam*bekus* (= Arszlán bég).

bellidux XI. 222, 11 et XII. 319, 2 idem ac *belli dux;* est compositum ad formas vocabulorum: bellifer, belliger, belligerator etc.

birous XII. 314, 12 est vox *Hungarica* idem ad *bíró*. «Iam nostri — ait Brutus — Albam advenerant et de totius belli gerendi ratione consultabant, Albæ *magistratu* præsente, quem Vngari *biroum* vocant» e. q. s.

ciausius X. 158, 2 et XIII. 359, 13 est vox *Turcica* (idem ac *csausz*), quæ *internuntium Regis* significat.

contrasentire XI. 209, 15 est compositum ex contra et sentire, idem ac *secus sentire*, ut XI. 209, 33. *Contrasentiens* tantummodo ap. Forcell. occurrit, quæ forma est participii a contrasentiendo, absolute adhibita: qui contra sentit.

credator XII. 293, 19 «odium vero in optima etiam causa semper pessimus suasor, sive is credator odisse, sive qui persua-

dere vult, sive odio habeatur». Est igitur is credator, qui credit sive persuadetur.

despeculari XIII. 388, 25 idem ac depeculari, hoc est *furari pecuniam* sive intercipere, supprimere ærarium.

dilectitia (pecunia) I. 134, 33 «quæ vero cogatur pellendis ex Europæ finibus barbaris hostibus». Forma et notio huius vocabuli parum certæ mihi videntur.

exigerare XI. 209, 23 idem ac exaggerare, coacervare, *cumulare*. Compositum ex *ex* et *agger*, ubi *a* ad rationem formæ *exigere* (ex + agere) mutatum est.

expernoctare XI. 229, 5 est decompositum ex ex et pernoctare (per + noctare). Notio vocabuli elucescit ex ipsa enuntiatione, quæ sic currit: «Edixerat dux, ut in itinere, ubi esset pernoctandum, seorsum Vngari, Germania, Itali castra ponerent, qua in re Vngarorum erat *expernoctare*, mos est, ut alibi diximus, quietem non molli strato, unde amoliri sopitum corpus operosum sit, sed labore et lassitudine virium captantibus».

haidones XIV. 419, 11 est vox *Hungarica : hajdúk, hajduság.*

huzarones (Vsarones) VII. 315, 29. VIII. 448, 25. VIII. 483, 8. XII. 219, 9. XII. 309, 32. XII. 322, 8. Est vox *Hungarica* idem ac *huszár* et significat manum delectorum equitum (= *huszárság*). Huzarones ap. nostrum ita sunt descripti: «latrociniis milites assueti . . . . genus hominum *barbarum* et infidum, non a causa, sed a spe compendii consuevisse sumere et ponere arma, ... quos homines latrociniis faciendis, quam in bello operæ navandæ aptiores, satis contumeliose Iovius appellat, certe ne ille ipse quidem negat: esse usaronum *infame nomen*, qua nota cur aspergeret nobilissimam gentem, præter odium, quo in omnes capitali flagravit, non Italia natos nulla causa erat» c. q. s. Husarones sunt *equites Hungarorum* rei militaris peritissimi.

ianizeri V. 49, 16. VII. 355, 22. XI. 245, 21, 29. Vox *Turcica*, ap. nos: *janicsárok*, qui delecti sunt *peditum* Turcarum. «Quidquid inest — ait B. — in exercitu Turcarum nervorum et roboris, *Ianniczerorum* (sic quoque scribitur) militia constat, delecti milites e nostrorum descriptione, qui Turcarum imperio parent».

insegne XI. 200, 33 adverbium ab insegnis sive insegnitia. *Insegnis* «Anecdota Helvetica p. 98, 17 (Wölffl. Archiv 1876, p. 255)».

interamnensis VIII. 422, 21 idem ac interamnanus sive interamnus, id est locus, qui inter amnes situs est.

martelosii X. 80, 6. *mantelosii (martalocii)* XI. 238, 22 idem ac *martalóczok* ap. nos; montanos Illyrios Brutus ita appellat, qui *latrociniis assueti sunt.*

mazuli XII. 342, 10 est vox *Turcica,* cuius notio e contextu evidens est: «Reo tamen, quæ pœnæ loco esset ita infamis relicta, inusta nomini fæda ignominiæ nota, ut in eorum numero haberetur, *quibus lege ad urbanos magistratus et militiae honores est aditus praeclusus,* quo*(s) Mazulos* patria lingua vocant».

nasades VIII. 387, 15. X. 131, 33. Vox *Hungarica,* idem ac *naszád,* cuius notio luculenter tractatur ap. nostrum: «his adiunxerat navales copias atque expedita navigia nonnulla, quæ Vngari *Nasades* vocant», deinde: «Germanus quidem dux fluviatiles naves ad centum numero comparaverat *mirae velocitatis,* quas Nasades Danubii accolae appellant».

perictus XI. 205, 18 est compositum ex per et ico, «fatali *pericti* malo» hoc est: malo tentati, malo prostrati.

perinique IV. 451, 5 est adverbium a vocabulo *periniquus.*

peropulentus I. 5, 9. II. 163, 10; 167, 17. III. 385, 22. IV. 427, 31. V. 8, 24. VI. 131, 15. VII. 270, 4. IX. 45, 18. X. 105, 21; 154, 21. XII. 286, 7. XIII. 371, 13; 400, 20. Est compositum ex per et opulentus, idem ac *praedives,* ditissimus, uberrimus.

pireite XI. 251, 17 idem ac piratarum more, piratice.

prorex IX. 19, 18, qui est *pro rege.* Cf. proconsul, proprætor etc. Hic Huniades dicitur prorex: «itaque post Ladislai mortem, quoad puer Rex adolesceret, Huniades prorex gentis decreto pronunciatur». Cf. XII. 306, 1: «qui tum pro rege civitati præerat» e. q. s.

rectane XIII. 390, 3 est compositum ex recta et ne, ut *superne* ex super et ne.

semicapta X. 95, 30
semidiscere XI. 195, 17
semitransfuga VII. 272, 14
} sunt composita ad rationem formarum: *semicinctus,* seminudus, semirutus, semisomnis etc.

sena XIII. 390, 18 «iubebat instrumenta varia comparari, *senas,* maleos, dolabras, cuneos, fibulas, cochleas» e. q. s. Est igitur instrumentum quoddam ad *caedendum* sive *perfringendum.*

subalbicare VII. 352, 18 «conspicatum enim in summo templi fastigio erectum vexillum, quod iam *nimia vetustate* subalbicabat»

hoc est *subalbida erat*. *Subalbicans* tantummodo legitur ap. *Varr. de Gallis:* «oculis ravis ac nigris, palea rubra subalbicanti».

sulphureum, *tormentarium* } pulvis } vide p. s. v. *pulvis*.
tormentarii

visirii VII. 329, 16. IX. 54, 8. XI. 266, 33. Est vox *Turcarum*, qua interiores amici sive ministri Imperatoris vocantur.

zibellina (vestis) V. 43, 19. IX. 64, 7. XI. 269, 22. Vide p. 11. s. v. *mus ponticus*. Ap. nos: *czobolyprémes* ruha.

INDEX NOMINUM PROPRIORUM GENTIUM ET LOCORUM.

A.

Abdua II. 147, 1. urbs in Apulia; ap. Saalf. non occurrit.
Acangius VIII. 366, 13.
Acelus VII. 220, 13. (Aczél).
Achmates XIV. 421, 4. Achomates V. 90, 33. (Achmed).
Aenobarbus X. 123, 17.
Agria XIV. 425, 3 (Eger).
Agriensis VI. 183, 25 (egri), ap. Saalf. tant. Agria.
Alba Regalis XII. 314, 10 (Székes-Fehérvár), ap. Bel: Sessilis sive Sessoria arx.
Alba Julia VIII. 399, 3 (Gyula-Fehérvár, Károly-Fehérvár), legitur ap. Saalf. etiam Alba Carolina.
Albani XII. 309, 27 (székes-fehérváriak).
Albensis I. 14, 14.
Alexa IX. 24, 15.
Al-Maghiari XIV. 448, 8 est nomen montis ad Agriam.
Altemburg VIII. 366, 10 (Óvár). «Flexum veteribus, ut nonnulli arbitrantur.» Ap. Saalf. ad Flexum (scil. Danubii), Flexum, Ovaria, Ovarium.
Alvincium VIII. 456, 29 (Alvincz). Ap. Bel: Bints, Aluinczium, Binsium.
Almas IX. 31, 13 (Homoród-Almás) in sede Vdvarhelyiensi.
Amurathes II. 270, 15. Amurathus II. 270, 19.
Annassus VIII. 434, 13 flumen in Italia «quem nostri nunc Plavim credunt».
Anglia I. 35, 23.
Antisiodorense (prœlium) II. 186, 26.
Apontius VIII. 445, 21.
Ardecus VIII. 366, 30.
Ariadenus XII. 283, 5.
Artandius VIII. 394, 14 (Ártándi).
Attinaius (Simon) VII. 347, 4.
Auranea I. 5, 17. sacerdotium Aurana seu Vrana, in qua olim sedes erat prioris equitum S. Joannis Baptistæ Auranæ». Bel.
Aufmannus (Joh.) XIII. 414, 9.

Auria X. 123, 21.
Avalus (Alph.) VIII. 411, 27.

B.

Bacchitius (Paul.) VII. 272, 23. Bakithius VII. 315, 28 (Bakits).
Bætica I. 131, 4.
Bacius X. 113, 12 (Baky).
Baiasetes I. 28, 25.
Balaton VII. 241, 31 (Balatontava). Ap. Saalf. Sinus Balatinus, Volceæ palus.
Balassius (Franc.) VII. 240, 21. (Balassa).
Balogus (Andr.) XIV. 457, 31 (Balogh).
Bamfius (Joh.) VII. 219, 22. (Baldass.) VII. 272, 20 (Bánffy).
Banatum II. 230, 22 (Bánát). Ap. Saalf. Dacia.
Banocius X. 79, 26 (Bánóczy).
Barcotius X. 148, 12 (Barkóczy).
Bardani XI. 203, 25. Ap. Saalf. n. o.
Bardenses XIV. 446, 3. Ap. Saalf. n. o.
Batha VI. 189, 22 ap. Bel: Batta, abbatia olim d. Mariæ sacra.
Bathor XIII. 410, 27 (Nyir-Bátor), ap. Bel: Bathorinum.
Bathor (Steph.) I. 18, 1. Bathoreus VI. 174, 20. (Andr.) VII. 226, 33 (Báthory).
Batthianius (Franc.) VI. 146, 1. (Urb.) 171, 11.
Batus III. 363, 20 (?)
Bavarus (Rubert). I. 20, 11.
Baxaius (Bern.) VIII. 399, 18 (Baksay).
Bebekianum XIV. 454, 6 (a Bebek).
Bechie XIII. 356, 13 (Becse in comit. Temesvariensi). Ap. Bel: Betse, Betsche, Betze, Betscheck.
Bechkereke XIII. 356, 13 (Nagy-Becskerek in com. Temesvariensi).
Bekesessus XI. 203, 32 (Békésmegye), ap. Bel: comit. Bekesiensis.
Belgicus II. 222, 6.
